

nerit *Petavius*, qui relicta aurea *Hilarij* regula, quam B. ille *Pa-*  
*ter* in disputatione contra S. S. Trinitatis hostes *Arianos* (*Photini-*  
*anorum* hoc in passu parastatas) observandam proposuerat, à nobis  
 jam ante adducta, ad Patrum expositionem tantà cum gloriatione  
 semet convertit; ut, qui verba ipsius legeret absq; rei notitia, non  
 posset non sibi persuadere, fortissimum telum id esse, & ter-  
 ribilissimum hosti tormentum, quo mediante Jesuita suæ parti  
 certam ad eò victoriam à Photinianis reportandam promittit, ac  
 Lutheranis, aliisque arma ista adhibere recusantibus, victoriam  
 abjudicat! Non dicam nunc multis *generatim*, quod ea, quæ  
 supersunt, Patrum scripta, licet rectissimè per modum testi-  
 monii pro veritate adducantur, sicut ex scriptis *Lutheranorum*,  
 clarè patet; ad tantum tamen opus, controversias fidei inter di-  
 versas partes arbitratorum more dirimendi, planè sint inidonei, ob  
 eorum, quæ exhibent, in multis *insufficienciam*, & *Autorum*,  
 qui homines fuerunt, nec sufficientibus subsidiis instructi, *fal-*  
*libilitatem*, ceu eleganter deduxit in opere de *usu Patrum Job.*  
*Dallaus*, adversus *Maub. Scriveneri* Angli infestum tract., sub  
 tit. *Apologie pro s. Ecclesie Patribus*, A. 1697 in *Oratione Inau-*  
*gurali* (quæ reperitur in *Exerc. Theol. Enneade* p. 740. seq.)  
 defensus à prælaudato D. D. *Itigio*. Sed speciatim tantum  
 ex eo, qui defensorem agit *Petavii* in *præfatione*, editioni ope-  
 rum ejus ante memoratæ præfixa, Seque *Theophilum Alethè-*  
*num* vocat, quod miser *Petavius*, à Patribus suis planè relictus, hosti-  
 bus semet ipse fodiendum spoliantumq; præbuerit, ostendam.  
 Verba *Alethini* in *notulis*, ceu vocat, ad eum, quem ante ex-  
 hibui, *Petavii* locum, sunt sequentia: *Mirum est, à viro doctissimo*  
*Disceptatores litis inter Catholicos & Unitarios, constitui Patres*  
*secundi seculi, quos ipse libro primo hujusce operis non obscure he-*  
*terodoxie hoc in negotio inculpavit. Si enim verum illic dixit,*  
*apud eorum tribunal æque damnarentur Catholicici ac Unitarii.*  
 Quinimò *Sandius*, qui *Arianismi* historiam in *Nucleo histo-*  
*ria Ecclesiastica* conficere tentavit, sub finem *Lib. I. Petavium* eam  
 ob causam *Arianismi* insimulare aulus fuit; à quo eum tamen  
 defen-